



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

De Sazeta Et De Manzenera Abbatibus, & F. Menendi monacho de
Alcobatia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006


rum alterius
impetratum re-
vocatur.
Vide caput
Cum olim pro-
pter. De privi.

re, quòd cum M. quondam Canonicus sanctæ Crucis in Episcopum fuisset Colimbrien. assumptus, privilegium quoddam de consilio quorundam Canonicorum Ecclesiæ Colimbrien. monasterio sanctæ Crucis indulsit in non modicum ejusdem Ecclesiæ præjudicium & gravamen. Quia verò nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis inquiratis de præmissis diligentius veritatem; & si privilegium ipsum in grave dispendium Colimbrien. Ecclesiæ videritis redundare, quòd illicitè factum est, auctoritate apostolica appellatione remota legitimè revocetis, non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem ab apostolica sede obtento. Datum Romæ &c. III. Non. Iunij.

*DE SAZETA ET DE
Manzenera Abbatibus, & P. Frod.
monacho de Alcobatia.*

Epist. 125.
Vt Ecclesia Co-
limbrien. suo
jure & privile-
giis non spo-
lietur.

Q Verelam venerabilis fratris nostri Colimbrien. Episcopi ad nos delatam accepimus, quòd cum carissimus in Christo filius A. Illustris Rex Portugalliæ partem territorij Colimbrien. & vicinorum castrorum in loco qui Alathen vocatur, & in sua proponitur diocesi constitutus, jamdudum hominibus dederit incolendum, qui ei de regalibus responderent, fratres monasterij sanctæ Crucis in locis illis quasdam denuo Ecclesias construxerunt & construunt ex quibus episcopalia jura percipiunt, & reddere contradicunt, cum in suis privilegiis habeatur quòd in illis tantum villis, quas de novo ædificant, episcopalia jura valeant obtinere. Nolentes itaque prædictos fratres aliis injuriosos existere, causam ipsam vobis duximus committendam, per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, audiat quæ proponuntur hinc inde, & quòd canonicum videritis super his appellatione postposita statuatis, facientes quòd statueritis firmiter observari, non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. VI. Kalend. Iunij.



*DE ALCOBATIA ET DE SEIZA
Abbatibus, & Priori de Alcobatia.*

EXposuit nobis venerabilis frater noster Colimbrien. Episcopus in nostra præsentia constitutus, quòd Portugallen. Ecclesia flumen Dorij, quòd Portugalen. diocesim à Colimbrien. separarat, & ab antiquo fuerat certus terminus utriusque, transgressa, magnam partem Colimbrien. diocesis occupavit contra compositionem à bonæ memoriæ Bosone quondam Cardinale tunc apostolicæ sedis Legato apud Burgum in Concilio factam, & per sedem apostol. postmodum confirmatam. Volentes igitur Colimbrien. Ecclesiæ in suo jure adesse, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus venerabilem fratrem nostrum Portugalen. Episcopum ad restituendam illam partem diocesis, quam præter justitiam detinet occupatam, cum fructibus inde perceptis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis. Nullis literis veritati & just. &c. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Idibus Maij.

*DE SAZETA ET DE
Manzenera Abbatibus, & F. Menendi
monacho de Alcobatia.*

Instituavit nobis ven. fra. noster Colimbrien. Episcopus quòd cum illustris Rex Portugalliæ fratribus sanctæ Crucis apud Castrum de Leirena in una tantum Ecclesia jus concesserit patronatus, inconsulto diocesano Episcopo in eodem loco construere alias motu proprio præsumperunt, quas & per capellanos conductitios regunt, & in nullo propriis volunt diocesano Episcopo respondere. Eisdem etiam Ecclesias privilegiis suis fecerunt inscribi, cum ab episcopali jure nunquam fuerint de consensu Episcopi liberatæ. unde totum jus episcopale in oppido nominato sibi præsumunt temerè vendicare. Quia igitur nobis constare non potuit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis &c. quòd justum videritis super his appell. postposita statuatis &c. non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si omnes &c. duo vestrum. Datum &c. VI. Kalend. Iunij.

ROTHO-

Epist. 126.
Ejusdem argu-
menti cum præ-
cedenti.

Epist. 127.
Ejusdem argu-
menti.